DISSERTATIO INAUGURALIS, DE ARGENTO VIVO.

QUAM

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,

D. ANTONII SCHULTINGII,

J. U. D. ET ANTECESSORIS ORDINARII.

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu,*
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*


PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus, & Privilegiis,
ritè & legitimè consequendis,

ERUDITORUM *Examini submittit*

HERMANNUS KAAU, *Batavus.*

Ad diem XX. *Aprilis* 1729. *hora locoque solitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud ISAACUM SEVERINUM, 1729.

VIRO CLARISSIMO

HERMANNO BOERHAAVE,
IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA
PROFESSORI MEDICINAE.

VIRO REVERENDO

JACOBO BOERHAAVE,
ECCLESIASTAE LEYDANO.

AVUNCULIS MEIS OMNI PIETATE
COLENDIS.

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, VIRO

D. JACOBO DE BYE,
MAGISTRATUI HAGANO,
MEDICO CELEBRATISSIMO, FELICISSIMO.

DOCTISSIMO, MAXIME REVERENDO VIRO

D. HENRICO VELSEN,
SACRORUM IN ECCLESIA HAGANA INTERPRETI FACUNDISSIMO, FIDELISSIMO.

AMICIS OPTIMI PATRIS INTEGERRIMIS

HONORIS ERGO HANC DISSERTATIONEM INSCRIBO,

HERMANNUS KAAU.

DISSERTATIO INAUGURALIS DE ARGENTO VIVO.

I.



EX consilio Eorum, quibus juventus mea regenda credebatur, propriisque votis, Academiam Lugduno Batavam colui aliquot annorum spatio, eo quidem animo, ut Medicinam discerem. Reperisse me dignum instituto huic successum dixerim, si copias censeo, quibus celebratum illud instructum Athenaeum expertus sum. Ut vero & proprios in eo explorarem profectus, necessarium duxi, Iis me committere examinandum, quorum fidelia praecepta avido animo prius hauseram. favor, & benevolentia, Clarissimorum Virorum adeò benignè existimavit de hisce tirociniis, ut Ordini Medicorum adscribendum putarent, si Legi obediens in re Medicâ aliquid conscribere, atque vindicare disputando, periclitarer. Parui. hinc natum, quod spectas, scriptum est. In eo autem Naturalem Argenti Vivi historiam leges, atque de virtute illius Medica simul & de perniciosa saepe malignitate, ea videbis, quae forte merentur exigui temporis jacturam, quod in iis perpendendis peribit. Mihi autem satis magnum elapsum esse in iis concinnandis spatium, fateor. Non quod id probare hypotheseos meâ industriâ elaboratae dignitatem autumem. Absit! sed ingenii potius mei tarditatem quandam forte declarat. Si ita censueris, mi Lector, dabis veniam, quod Juvenis, legis Academicae praescripto parens, sapientiae Tuae satisfacere minus potuerim.

II.

Argentum vivum dicitur corpus illud *fluidum*, quod inter omnia fluentia comperta *ponderoſiſſimum* inventum eſt. Cui a colore ſimul & pondere prius, a perpetuâ mobilitate poſterius, nomen datum fuit. provocat enim ſplendore ſuo politiſſimi illius metalli fulgorem, atque tremulâ ſemper, & in frigore ſummo conſtante, fluiditate vitalis quidpiam teſtatur. Inde eleganti equidem appellatione, quaeque videtur Naturam ejus optime exprimere, Graeci vocaverunt Ὑδράργυρον, quaſi argentum aquam. Dioſc. L. VI. C. 27. 28. V. C. 110. Neque nativa minus eſt denominatio, qua eloquentiſſimus Theophraſtus illud deſignavit. Legimus quippe Eum L. de Lapid. pag. 12. 13. Edit. Wechel. in folio vocantem id ipſum ἄργυρον χυτὸν, quod fuſum ſonat argentum. Ariſtoteli vero Meteororum VIII. ἄργυρον κινητὸν, aut Argentum mobile, vocatur. Id deinde, Britanni, Germani, Belgaeque, vocibus quicke-ſilver, queckſilber, quikſilver, imitati fuere, atque interpretatus olim fuerat Plinius, dum liquorem aeternum vocat. L. XXXIII. C. 32. Sufficiant haec de vocis origine. Si enim nomina, quibus illi, qui fodinas curant, vel tractant Chemica, mirum hoc corpus donaverunt, recitarem; Scripturae vix eſſet finis, nec praeſtaretur inconditis Barbariei ſonis auris. Si tamen volupe cui fuerit & illa didiciſſe, is adeat Metallicae Rei Scriptores, vel Pyrotechniae Magiſtros, ubi copia major, quam intellectus clarus, nominum ſuppeditabitur. Unum, quaeſo, addidero; obtinuiſſe ſcilicet priſcis dudum temporibus, nomen Mercurii, ex Theogonia veterum notum, huic ipſi rei ſignificandae datum fuiſſe. Quidnam cauſae ſubſit, quamque antiqua rei origo, inquirenti dabit Eruditiſſimus Olaus Borrichius in tractatu de origine & progreſſu Chemiae, tum in vindiciis contra Conringium, ut & Tollius in Fortuitis ex Mythologicis idem extricandum ſuſcepit.

III.

Omne, quod venale proſtat, terrae proles, unde plerum-

que

que effoditur. Neque interim facile dixeris, cui regioni natales debeat? maxima fane copia, hodie reperitur in Idriâ fita in valle, ad Alpes Julianas in comitatu Goritiae, territorio fori Julii. Germania, Bohemia, Italia, Hifpania, Auftria, Britannia, celebrantur fodinis hujus. quin & China, & Peru laudantur quam creberrime a venis Argenti Vivi ditiffimis. Ubicunque natum deprehendatur, poftquam depuratum fuit, vix ulla re differre probatur: unde minus utilis accuratior fedis nativae definitio.

IV.

Sed momenti forte Tibi majoris habebitur fcire fpeciem, qua apparet fofforibus: maxime quum id ad intellectum naturae ejus pertinere non immerito quis putaverit, atque ipfa jam antiquitas in negotium hoc inquifiverit fedulo. Si hiftoriam naturalem excufferis, miraberis, quam certo fibi conftet modus, quo terra fructum hunc efferre obfervatur. Audi, quaefo, Principem Auctorem Theophraftum, narrantem Libro de Lapid. χυτὸν ἄργυρον αὐτοφυὲς μὲν περὶ Ἰβηρίαν γένεσθαι, argentum fufile fponte nafci circa Hifpaniam Ibericam; fed in quâ materie? Ἐν κιννάβαρει, in Cinnabari. Idemque ibidem afferit de κιννάβαρει nato ἐν κόλχοις ut fundente Hydrargyrum. narrat porrô ex Cinnabari elici Mercurium, ὅταν τὶ κιννάβαρει τριφθῇ μετ᾽ ὄξοις ἐν ἀγγείῳ χαλκῷ, καὶ δοίδυκι χαλκῷ, quando quidem Cinnabaris trita fuerit cum acetis in vafe aeneo, aereo piftillo. denique matrem Hydrargyri duplicem commemorat fcribens, τὸ κιννάβαρι γίνεσθαι τὸ μὲν αὐτοφυὲς, τὸ δὲ κατ᾽ ἐργασίαν, aliam cinnabarim fponte nafci, fieri aliam opera. quae profecto videntur evincere, jam tempeftate eâ Minium factitium, ex Hydrargyro conflatum & fulphure, innotuiffe: id enim nifi affertum fuerit, textus Theophrafti laboraret obfcuritate non temere auferendâ. Magis tamen fententia mea circa haec firmabitur, fi confideres, quâ accuratione nativum foffile arte facto praeponat: pergit enim, poftquam citata protulerat, afferendo, τὸ μὲν αὐτοφυὲς τὸ περὶ Ἰβηρίαν, σκληρὸν σφόδρα, καὶ λιθῶδες εἶναι, ὥσπερ καὶ τὸ ἐν

κόλχοις, nativum circa Iberiam durum valde & saxeum esse, ut & id quod in Colcho prodit. Dioscorides autem, amplissimus ille materiae universae Medicae scriptor, quâ est accuratione, magis adhuc diligenter eadem prosequitur: nec mirum: vixit forte ter centum annis a Theophrasti temporibus; fruens igitur serae magis aetatis sapientiâ; locupletiori experimentorum doctrinâ instructus; variisque inprimis itineribus perfectus, circumspectius cuncta annotavit. Ait ergo: 1. Ἐνίους ἱστορεῖσθαι, τὴν ὑδράργυρον εὑρίσκεσθαι καὶ κατ᾽ ἑαυτὴν ἐν τοῖς μετάλλοις, narrare quosdam Argentum Vivum, ipsum sincerum reperiri in metallis. L. v. Cap. 110. 2. Εὑρίσκεσθαι καὶ ἐν τῷ μεταλλεύεσθαι τὸ ἄργυρον ἐν ταῖς στέγαις κατὰ σταλαγμοὺς συνεστῶσαν. Inveniri &, dum in metallum funditur argentum in tectis concretum in guttas. 3. Denique τὴν ὑδράργυρον σκευάζεσθαι ἀπὸ τοῦ ἀμμίου, λεγομένου καὶ τούτου καταχρηστικῶς κινναβάρεως; Hydrargyrum parari ex minio dicto per abusum vocis cinnabari. Id autem minium Ibidem capite 109. descripserat: σκευάζεσθαι ἐν Ἱσπανίᾳ ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ, parari in Hispaniâ ex lapide quodam misto sabulo argentifero. Modum autem parandi Mercurii ex hoc viliori genere Cinnabaris longe verius describit, quam antea tentaverat Theophrastus. dicit namque: Θέντες ἐπὶ λοπάδος κεραμέας κόγχον σιδηροῦν ἔχοντα κιννάβαρι, περιάπτουσι ἄμβικα περιαλείψαντες πηλῷ, εἶτα ὑποκαίουσιν ἄνθραξιν. ἡ γὰρ τῷ ἄμβικι προσιζοῦσα αἰθάλη ὑποζεσθεῖσα, καὶ ἀποψυχθεῖσα, ὑδράργυρος γίνεται. Ponentes supra ollam fictilem vasculum ferreum, continens cinnabarim, circumponunt calicem, circumungentes luto, postea subtus accendunt carbones. Nam fuligo calici assidens subtus excocta, & refrigefacta, fit Hydrargyrus. videsne, mi Lector, penitus perspectam veteribus & excultam, artem volatilia igne separandi a fixioribus, quam destillationem per alembica hodie vocant? Vides ne ipsum Alambic hodie dictum, vel capitellum jam ἐν τῷ ἄμβικι latere? Sane ita puto, sed tu judicabis, an recte? ne porrô dubites, ἄμμιον Græcorum, Minium Romanorum, esse veram Cinnabarim, sed in glebulis minutioribus forte minus pretiosam, permitte ut iterum Dioscoridem sistam ita perorantem: τὸ ἄμμιον

σκευ-

σκευάζεται ἐν Ἰσπανίᾳ, ἐν δὲ τῇ χώνῃ μεταβάλλει εἰς εὐανθέστατον, καὶ φλογωδέστατον χρῶμα. ἔχει δὲ τὴν ἀποφορὰν ἐν τοῖς μετάλλοις πνιγώδη. Minium paratur in Hiſpaniâ, in fornace vero tranſit in floridiſſimum, fulgentiſſimumque, pigmentum. habet vero exhalationem in metallis ſuffocantem. L. v. Cap. 109. diſcimus quoque ex hiſce, Antiquis duplicem innotuiſſe Cinnabarim, quarum vilior una, ἄμμιον dicta, eliciendae hydrargyro dicabatur, altera vero longe pulchrior, atque pretioſior lectiſſimis ſervabatur pigmentis. Id clare perſpicimus ex eodem Dioſcoride mox apponente, τὸ κιννάβαρι κομίζεσθαι ἀπὸ λιβύης, πιπράσκεσθαι δὲ πολλοῦ, hoc enim foſſile ex argenti fodinis, dictum Sil Atticum, & Minium veterum, Cinnabari dictum fuiſſe aeque, ac alterum id, quod ex arbore inciſâ ſtillabat guttatim legendum, ſanguis Draconis dictum, quia falſo putabant ex vulnere Draconis commiſſi cum Elephante decidere, dudum conſtitit. Videbis, qui rem penitus demonſtratam deſideras, Eruditiſſimum Claudium Salmaſium in illo herculeo opere, quod inſcripſit Excercit. in Plin. & Solin. pag. 1147. 1157. unde & diſcere eſt χρῶμα Grajorum κατ' ἐξοχὴν dictum hoc idem fuiſſe.

V.

An Veterum in reperiendâ Hydrargyro ſcientia proba fuerit conſtat ex iis, quae modo attuli, quae quidem cuncta, more ſuo ſatis infeliciter, ex Graecis Plinius tranſtulit. Qui Argentum Vivum appellaſſe videtur, quod ſponte in fodinis tale, abſque artis adjumento, habetur. Ita quippe diſertê dicit; *ex Secundario minio invenit vita & hydrargyrum in vicem argenti vivi. Fit duobus modis.* Dein recitat ea, quae Theophraſtum & Dioſcoridem docuiſſe vidimus L. XXXIII. C. 41. rurſum L. XXXIII. C. 32. Dixerat *Lapidem eſſe in venis argenti in Hiſpaniâ, cujus vomica liquoris aeterni argentum vivum appellatur.*

VI.

Quid Recentiores in hoc negotio obſervaverint, quidque

novi bonique Veterum adjecerint monumentis, paucis recensere aequum duxi. Ut constaret, non adeô abjectê sentiendum de peritiâ Priscorum in re Metallica; imo quam plurima, quae historiae rerum ignaris recenti adscribuntur aevo, jam olim apud priora secula pervulgata haberi. Quod ipsum imflammabit animos nobis, ut sedulô scrutemur thesauros antiquos simul dum recentes accumulamus, neque temerê nimiae laudis in hos profusi Illorum interea meritis debitam deteramus gloriam.

VII.

Quacunque demum origine natum Argentum Vivum aliquid alieni habet semper, imprimis ex metallis. Quare purum id reddere oportet prius, quam de naturâ illius, atque singulari virtute, vera tradi queant. Neque defuit huic proposito humana industria. Alii ergô Corio alutae immissum, eodem arcte mox colligato, atque presso, transudans collegêre in latum suppositum vas, de ligno, ferro, vel figulina materie, fabrefactum. Deprehendentes metallici alieni multum ita cavo corii retineri. Id dudum probatum fuisse Plinius docet L. XXXIII. C. 32. *Ut argentum vivum ab auro, quod unum ad se trahit, discedat, in pelles subactas effunditur, per quas sudoris via diffluens, purum relinquit aurum.* Sed & ita tamen aliquid metallici saepe transivisse, imprimis de plumbo, postea certô constitit: unde Gnari huic operae non confisi.

VIII.

Simillima sane hisce Antiquorum placitis ea respondent, quae Recentiorum industria detexit, licet forte uberiori experimentorum fide expediverint plurima, quae intricata prius fuerant. Maxima igitur hodie Argenti Vivi copia reperitur in Hidriâ. Teste jam olim Matthiolo in Dioscoridem pag. 936. Editionis Bauhinianae. & Ferrante Imperato, delle historie naturale pag. 377. in folio. Atque recentior Clarissimus

mus Pope, & Brouwn, in actis societ: Angl. idem firmant. Cuncti vero testantur unanimi assertione, 1. saepe ibidem deprehendi purum putum Argenti Vivi corpus natans in molliori terrae fossilis specie, quae adunatis exiguis globulis copiam diversis locis satis spectabilem offert ita, ut saepe ad uncias aliquot nativa hydrargyrus colligatur. Imo aliquando scaturiit ex ipsâ in fodinis venâ per binos ternosve dies rivo perpetuo saliente, qui crassitie tandem filum sarcinis suendis proprium aequaret. hanc vero speciem reliquis virtute praeferunt, unde & pretiosior habetur, quin & illibatam hujus puritatem fossores castae virginitatis laude celebrant, dum Mercurium virginem appellitant. 2. invenitur alia, & quidem bonitate priori fere par, species hydrargyri, quae naturaliter haeret in Gleba fossili, fragili, lapideâ, ponderosâ, coloris ex nigro in fuscum rubrum purpurascente, fere ut hepatis antimonii dicti Chemicis color apparet. Quandoque reperitur in Sphaericis, Lapideis, frustis, quasi filamentorum intricatu conglomeratis. Metallurgi massas utrasque tusas cribro, cujus fundus satis laxis cancellis constat, injectas, aquâ tamdiu abluunt, quamdiu haec quidquam secum rapit per cribrum, eam supposito vase cum curâ excipiunt unâ cum eâ materiâ, quae abluentem aquam sequuta fuit. hanc materiem trajectam cribro novo angustioribus instructo intervallis iterum sic tractatam decem vel duodecim cribris eodem modo trajiciunt sensim angustioribus, semperque per aquam puram curatissime abluendo. Semper post unamquamque operationem purum Argentum Vivum apparet, quod legitur; in ultima vero operatione perpetuo plus adquirunt. Massas ab operâ hac superstites contusas novo labore iterum eodem modo pertrectant, donec omninô nil Mercurii amplius exhibeat. Omne quod ita paratur Hydrargyri seorsim servatum purissimum idem priori nomen obtinet *Mercurii* scilicet *Virginis* nullum ignem Artificis experti. 3. denique quidquid ex vena Argenti Vivi sic vexatâ superest, siccatum ex vase ferreo, quod ex capaci ventre in collum angustum retortumque exit, igne urgent in amplum aquâ frigidâ plenum excipulum, quem collectum fossores minoris habent

vir-

virtutis. 4. Vero in Carinthiâ effoditur Cinnabaris pulcherrimi coccinei coloris, similem pulcherrimam Tyrolis exhibet, omnium vero fulgentissimam fodinae & chemnitsianae in Pannonia praebent: cernuntur alia fragmenta, quae colore purpureo se commendant: Imo & nigra, dura, ponderosa, eruuntur: quaedam splendentem nigram massam interpolato purpureo distinguunt. Vid. Ol. Worm. in musaeo, tum Nehem. Grew. in musaeo Societ. Reg. pag. 333. 336. Cuncta quidem haec tanta coloris varietate diversa minium veterum dant: trita quippe in pollinem cum limatura ferri, si ex vase simili ferreo vi ignis urgentur, exhalant purum Argentum Vivum, absorpto in ferrum sulphure. quum tamen nativa haec Cinnabaris, inprimis splendenti cocco saturate fulgens, ipsa Hydrargyro longe sit carior, raro Jacturam hanc fossores atque metallurgos quaerere manifestum certe habetur. Vid. Aldrovand. in musaeo metall. 199. Lazar. Erkren. L. 4 pag. 92. 93. Matthiol. in Dioscor. Edit. Bauhin. 684. 936. Ferr. Imper. 377. Georg. Agricolam de re metall. L. IX. pag. 344. ad 349. aliam institerunt viam. Depuratum itaque Corio cum sale communi & aceto conterendum curaverunt tamdiu, donec renovata saepe novi humoris affusione atque contritu, tandem nullo colore spurcus, nullo alieno sapore imbutus, ita inde rediret, ut affusus fuerat. Certe plumbum hac ratione aceto facile solvendum abstulere, atque Cuprum, quae bina hydrargyro mista vires ejus mutarent quam maximê. Denique ad fastigium puritatis evexerunt metallicae artis peritissimi idem Argentum Vivum, quando prius defoecatum duobus, quae recitavi artificiis, tandem puro obryso permiscuere auro, atque inde ex retorto vase vitreo per ignem propellentes, purissimae illapsum aquae exceperunt. Audiamus Plinium ex monumentis antiquitatis nos docentem L. XXXIII. C. 32. *omnia innatare argento vivo praeter aurum, id unum ad se trahere, ideo & optimê purgare, caeteras ejus sordes exspuens crebro jactatu fictilibus in Vasis, vestibus injectis.* (Agricola legit *vitiis abjectis.*) forte *foecibus rejectis.*

IX.

Huc usque sufficiat ortum explicuisse, atque modum conciliandae mirabili huic rei nativam sinceritatem. Agite ergo alacriter, recenseamus ejus proprietates, quas non subtilior disputationis ratio excogitat, sed prudens observatio invenit. Inter illas equidem 1°. ordinem ducit pondus illi singulare, adeo quidem eminens, ut inter omnia corpora hactenus hominibus explorata nulli cedat hac dote nisi uni auro, omnia vero longo post se intervallo caetera relinquat. Aurum etenim, quum ponderosissimum sit omnium, ad pondus Argenti Vivi puri se habet, ut 19636. ad 14019. Ipsum vero plumbum, quod inter omnia, post Hydrargyrum, maxime ponderosum reperitur, est ad Mercurium ut 11345. ad 14019, talium vero massarum aqua ponderat 1000. 2°. est mirabilis ejus simplicitas, qua solum aurum fere par sibi habet, utcunque tamen exsuperat, aquam vero deinde sinceram forte agnoscit hac virtute proximam. Hanc religiose admirati fuerunt Chemiae castae proceres. Ita hercle ex sapientum effatis palam clamat Helmontius, *auro simpliciorem Mercurium, neque arti, neque naturae, possibile esse in eo diversa reperire* pag. 706. §. 10. *nihil in natura ei simile, ne eminus quidem* pag. 670. §. 17. *sospitem ideo manere in igne, aëre & acribus.* pag. 57. §. 16. 17. *adeo homogeneam ejus simplicitatem, ut nulla ei humiditas similis sit, ut radicaliter omnem divisionem arte vel natura respuat.* pag. 55. §. 8. & pag. 705. §. 10. Rursus scriptor novi luminis chemici dialogo inter Mercurium & Alchemistam voce clara monet, *centrum Argenti Vivi omnium fixissimum, immortale, penetrans.* 3°. Habet & illud maxime singulare, quod sit inter omnia, quae experimur, maxime divisibile absque ulla omnino sensibili resistentia, neque ullus sit notus ejus divisibilitatis finis: nam solo igne in speciem volatilis, at invisibilis, fumi facile attollitur. quum tamen Mechanici evidenter demonstrent prius divulsum esse debere in particulas adeo parvas, ut superficies ratione molis incredibiliter increverit, antequam in aëre natans sustineri queat. hinc Plinius L. XXXIII. C. 41. *Liquore aquae esse Argentum Vivum docet, guttis dividi facile, & lubrico humore confluere.* Ipseque Mercu-

curius deliro Alchemistae apud Sendivogium explicat indolem suam dicendo, *ex mille guttulis unus ero, ex uno multa millia guttarum do, potes me dividere in tantum in quantumvis, iterum unus ero, & spiritus meus semper ex minutissima parte multa millia profert.* Quousque autem procedat haec Hydrargyri in particulas attenuatio, dictu arduum, in minimas fieri, docet ejus per metalla penetrabilitas, quorum certe naturales meatus angustissimi. 4°. Et illud semper constat, particulas Argenti Vivi, quoties separatae prius ad se mutuo accedunt, facillime in mutuos ruere amplexus, atque adunatis particulis unum formare globulum. 5°. In omni Hydrargyro pura tanta superficiei glabrities, ut aliud corpus huic hac dote simile deprehendatur nullum. Id vero evidentissime docemur elegantissimo experimento, quo purissimi Argenti Vivi sphaerula minima, aëri exposita lucido, atque objecta Microscopio, adeo perfecte rerum imagines pingit absque ulla omnino scabritiei asperitate, ut nulli artifici fas sit politissimo speculo laevitatem adeo aequabilem conciliare. hincque fit ut nervis acutissime sentientibus nihil unquam doloris imprimat, si enim specie fumi oculis, naribus, ore, vulneribusve, se applicet, nihil plane tormenti eo tempore excitat. Si exigua illius guttula nudo oculo (quam exquisite aliter sentit?) instilletur, nullum dolorem efficit, nec imposita linguae vel saporis ullam praebet speciem. Imo vero ulcerato cancro Argentum Vivum, plumbo subactum, mitificans potius, quam excitans doloris, habetur: quum interim Medicis constet omnibus, levissime aspera haudquaquam in hoc mali genere tolerari absque exacerbatione acerrima. Atque haec quidem quum certissima sint, quis ferat adeo infamari Mercurium, quasi corrodentium esset perniciosissimum, atque acrimonia fere exurente praeditum? falso sane tale quid dicitur: neque enim crediderim ullum mortalibus cognosci corpus, quod mitiori blanditie se commendet. Dum vero arguunt a perniciosis ejus effectis acrimoniam in ejus corpore, idem agunt mehercule, ac si globum aureum tormento bellico explosum acris dicerent indolis, quia motus corpora penetrat. Id vero statim liquidius apparebit, ubi virtutem ejus in corpore humano excusserim. 6°. Unum

num adhuc enarrem ubique obſervatum: ſcilicet pinguitudini ſpiſſiori contritum facile ſubigitur euſque, ut diſparens tantum caeruleſcentem colorem unguento huic conciliet, cujus interim particulam lente Catoptrica explorans deprehendit: ipſos immutatos globulos oleis interceptos ibidem hoſpitari, unde per corium preſſa haec miſcela purum Mercurium tranſudat, ut & calore fuſum hoc unguentum vivum rurſus argentum in fundum ſtatim praeceps dat.

X.

Crediderim praemiſſa ſatis intelligi, ut inquirere jam poſſimus in rationem Mechanicam, qua Argentum Vivum effectus ſuos adeo mirabiles in corpore humano vivo praeſtet? Antequam vero penſum hoc exordiar, haud ſupervacaneum arbitror paucis monere, duplicem hactenus innotuiſſe modum, quo corpora in ſe mutuo agunt. Unum, qui omnibus fere communis eſt, quo unum alteri motum impertit per impulſum. Cujus quidem leges Mechanici ſoli ut obſervare, ita & explicare, potuerunt. Vide Illuſtriſſimi CHRISTIANI HUGENII, CHRISTOPHORI WRENNI, JOANNIS WALLISII, & nuperrime JOANNIS KEILII, incomparabilia inventa, & demonſtrata. Alterum vero, qui plane ſingularis eſt quibusdam modo corporibus, quo certum corpus, ratione ignota, alteri cuidam ſingulari motum conciliat. Ut eſt in gravi, in magnete, pluribuſque ſimilibus. De quibus maximus ISAACUS NEWTONUS ſubtiliſſime diſputat. Ideoque actiones corporum ex concurſu utriuſque poterunt eſſe compoſitae. Magnes quippe in magnetem vel in ferrum agere poteſt lege communi corporum, ſed & ſimul interim magnetiſmo: unde & effectus inter corpora haec producti non ex una tantum harum, ſed ex conſiderata utraque cauſa ſimul explicari debent. Interim putem neminem ambigere, quin ſemper effectus eliciendi putentur ex communi corporum proprietate, quamdiu in illis nihil deprehenditur, quin evidentiſſime cernatur ſequi ex claro intellectu legis illius communis: ſufficit quippe ad effectum cognitum Phyſicum explicandum, ſi demonſtratur exiſtere cauſa Phyſica, quae illi producendo penitus apta nata ſit.

 XI.

Igitur censeamus ordinem effectuum, quos humano corpori Argentum Vivum praestitit. Sinistra omnia hic dicit Dioscorides, dum L. VI. c. 28. scribit Ὑδράργυρον ποθεῖσαν τὰ αὐτὰ ἐπιφέρειν τῇ λιθαργύρῳ. *hydrargyron epotam eadem inferre lithargyro.* quaenam vero haec facit? descripserat ibidem c. 27. λιθάργυρον ποθεῖσαν βάρος ἐπιφέρειν στομάχῳ, τῇ κοιλίᾳ, καὶ ἐντέροις μετὰ στρόφων ἐπιτεταμένων, ἐνίοτε δὲ καὶ τιτρώσκειν τὰ ἔντερα διὰ τὸ βάρος, καὶ ἐπέχειν τὰ οὖρα. παροιδεῖν δὲ αὐτῶν τὸ σῶμα, καὶ μολυβδώδη ἀπρέπειαν λαμβάνειν. *Lithargyron epotam pondus inferre ventriculo, ventri, & intestinis cum torminibus intentis, quandoque vero & vulnerare intestina, per pondus, & retinere urinas. intumescere autem eorum corpus, & plumbeam difformitatem assumere.* L. autem V. c. 110. de eodem Argento Vivo narrat: δεῖ δὲ φυλάττεσθαι τὴν ὑδράργυρον ἐν ὑελίνοις, ἢ μολιβδίνοις κασσιτερίνοις, ἢ ἀργυροῖς, ἀγγείοις. τὴν γὰρ ἄλλην ὕλην πᾶσαν διεσθίει, καὶ ποιεῖ ἀπορρεῖν. δύναμιν δὲ ἔχει φθαρτικὴν ποθεῖσα, τῷ βάρει διαβιβρώσκουσα τὰ ἐντός. *Oportet vero servari hydrargyrum in vitreis aut plumbeis, aut stanneis, aut argenteis, vasis. Nam aliam materiam omnem exedit, & facit diffluere. potestatem autem habet deleteriam epota, pondere corrodens interiora.* Mitius sentit de Cinnabari, dum eam dicit ἔχειν τὴν αὐτὴν δύναμιν τῇ αἱματίτῃ. στυφὸν εἶναι, καὶ ἴσχαιμον. καὶ πυρίκαυστα, καὶ ἐξανθήματα ἀναληφθὲν κηρωτῇ θεραπεύειν. *Habere eandem virtutem lapidi haematitidi. adstringens esse & sanguinem comprimens. & igne exusta, & pustulas, exceptum cerato sanare.* Plinius etiam horum asserta sequutus, *Argentum Vivum venenum rerum omnium* appellat, quod *exest, atque perrumpit vasa permanans tabe dira.* L. XXXIII. c. 32. *quumque conveniat hoc esse venenum, ideoque & omnia, quae de minio in Medicinae usu traduntur, temeraria*, arbitratur: addit deinde *illito capite, ventreve, sanguinem eo sisti posse, dum nequid penetret in viscera, & vulnus attingat; aliter utendum se non censere.* L. XXXIII. c. 41. Galenus vero, qui IX. simplicium asserit ὑδράργυρον οὐκ εἶναι τῶν αὐτοφυῶν φαρμάκων, ἀλλὰ τῶν σκευαζομένων, ὥσπερ ψιμμύθιόν τε, καὶ ψωρικὸν, καὶ λιθάργυρος. *Argentum Vivum non esse sponte na-*

natorum medicamentorum ſed praeparatorum, ut Ceruſa, Aerugo, medicamentum ad ſcabiem, & lithargyrium, ſtatim deinde ſubjungit οὐκ ἔχειν αὐτῆς οὐδεμίαν πεῖραν, οὔτ' ὡς ἀναιρούσης εἰ καταποθείη, οὔτ' ἔξωθεν ἐπιτεθεμένης, *ſe non habere ejus ullam experientiam, neque ut interimentis ſi epota fuerit, neque an id faciat externe appoſita.* Quae quidem omnia nobis perſuadent, priſcis temporibus innotuiſſe vim Mercurii humano corpori noxiam: Caeterum nequaquam conſtitiſſe de modo, quo laedit, longe minus tamen de egregia illius virtute medicata, qua profecto longe exſuperat omnia, quae materia medica complectitur: quare ex recentioribus haecce experimentis eruere jam jam conabimur.

XII.

Primo igitur, ſi copia Argentum Vivum magna ventriculo ſubito ingeritur, frigore ſtatim ingenti ſanguinem vicinum in grumos cogit, qui dein ilico cor pulmoneſque occupans, nec tranſire potens, mortem nec opinanti adfert. Ut enim pondera, ita frigora, corporum, & in genere omnes fere qualitates acquiſitas, valde probabile experimentorum fides reddit. Atqui pondus Mercurii decies quater aquae pondus ſuperat, ergo in frigore tanto erit potentior, ideoque vivum ſanguinem in cavâ venâ inſpiſſat momento horæ unico. Quod quidem mirabili, ſed triſtiſſima, hiſtoria firmatur aegroti, qui pharmacopoeo famulans febre laborabat ardentiſſima, cujus flagrantem tolerare ſitim impotens, avidiſſimeque quaerens ſolamen, noctu in tenebris ſurgebat, quumque vas frigida plenum ſe inveniſſe putaret, maligno caſu Argento Vivo plenum tenuit, cujus avidiſſime liquorem ebibit, paulo vero poſt congelatus interiit: a morte autem inciſo cadavere ſex librae Argenti Vivi ventriculum adhuc occupare viſae, omnis vero, qui circa hoc, & vicina ſtagnabat loca, ſanguis concretus omnino ſpectabatur. vid. Matth. in Dioſcor. pag. 999. prudens igitur eſto, qui in curando volvulo propinare illud audes, ut ſuaſere multi. Satius ab eo abſtinuiſſe hoc in caſu duxerim: quum periculo forte non careat, aliaque ſint, quae abſque mali eventus diſcrimine id efficere queunt, quod Auctores hujus conſilii conantur ope

Hydrargyri epotae praestare. Si autem parciore pondere exhibetur vacuo per jejunium corpori cito illud transire solet, atque toto, quo penetrat, itinere vermes necare, fibras exercere, itaque attenuare pituitam. Hac de causa Clarissimos in Hispania atque Italia Medicos pueris, qui lumbricorum infestantur caterva, ad pauca grana, bina scilicet aut una propinare solere felicissimo eventu praeëuntis Brasavoli incitatos, Goritienses autem obstetrices languentibus parturientium viribus semidrachmae pondere dato quam felicissime, absque ulla noxiae sequela, succurrere. Scribit Andreas Matthiolus in Dioscoridem pag. 936. 999. & in Epist. pag. 159. Caesalpin. de Metall. pag. 194. Verum ut haec una alterave dosi, subito effectu se commendant, neque notabili damno laedunt assumentis corpus, ita profecto geminata nimis dosi alios longe eventus proferunt, quos statim commemorare juvabit. Id tamen hic loci notare convenit, quod si quacunque causa penetraverit se Hydrargyrus in corpus, atque ingressa fuerit in eas ejusdem cavitates, quae sitae sunt extra vitales, maximeque agiles canales, quas arterias appellant, ubi vix ullo cietur motu, ibi haeret, stagnat, colligitur, soloque pondere membranas coercentes premens, diros, diuturnos, nulli auxilio cedentes, dolores excitat. Id in ossium cellulis, interstitiisque, obtinuisse adeo, ut hinc cranium aliaque ossa dilatata, tumentia, distenta, viventi ineluctabiles morbos creavisse, post mortem vero ponderosissima Mercurii infarctu evasisse, observatum sit, historiae docent. Quod inprimis iis fit, qui in fodinis operantur, aut infelicem Medicum nacti ad foedum morbum, nimia Argenti Vivi copia obruti fere fuerunt, saepenumero quippe contingit, lentos dolores ossium, a sanata lue obscoena torquentes, magis acceptos ferendos reliquiis Mercurii in cryptis ossium stabulantibus, saevaque tensione membranas sensim dilacerantibus, quam quidem residuo morbi expugnati contagio.

XIII.

Ducit jam contemplationis aciem rei tractandae ordo eo, ut inquiratur, quid agat Argentum Vivum, si quocunque demum itinere ita fuerit ingressum corpus vivens, ut ejus humoribus penitus permistum sit. Contingit primo dum eo ignis calore agitur,

tur, quo fumi inſtar volitet per aëra, atque cum eo vel in os, nareſque, indeque in pulmones, ſtomachum, ventriculumque fertur, & corpus intrat. Experiuntur id illi, qui metallis inaurandis operam navant, & vi ignis inde poſtea Mercurium, quocum artificium hoc peractum fuerat, difflant, eumque ſic volitantem hauriunt. Sic etiam quicunque in fodinis Argenti Vivi a vena nativa ignis ope per retortas moliuntur, aut per ollas, ſaepe, imo fere ſemper; diffuſos per conglutinatas vaſorum commiſſuras infeſtos halitus excipiunt, ſi ventus a vaſis his verſus ipſos ſpirans ſecum detulerit. Artis quoque propoſitum fortuita haec experimenta proſequens fecit aegros ſub ſtragulo tegente ſedentes haurire ſuppoſiti Mercurii ſuſcitatos igne halitus. Deinde Argentum Vivum obſervatur ingredi in corpus hominis, qui id ipſum manibus pedibusve imprudenter, nimis audacter, diuque pertrectat: maxime quidem ſi aperto per calorem corpore uſque in emittendum ſudorem exaeſtuat, ipſaque Hydrargyrus ſimul incaluerit. Tertio emplaſtra hoc remedio ſcatentia, tenacia utcunque fuerint, diu geſtata, ad nudum appoſita corpus, excuſſum motu atque calore id ipſum per laxamenta cutis adigunt in corporis penetralia. Quoties malo id eventu contigiſſe deplorant hiſtoriae ab appoſitu imprudenti. Nobilis aliter emplaſtri Vigonis, quod de ranis cum Mercurio audit? Cautus eſto ni falli turpiter periclitando malit, quicunque pueris, Leucophlegmaticis, id apponendum curat. Quarto unguenta quaecunque, Mercurii copiam recipientia, ſaepe affricta leviter, uno & lintei eiſdem pinguefacti applicatu, ſubitaneo effectu damnoſum ſputum excitando, docuerunt introiviſſe ipſa hac ratione virus hoc metallicum. Quod doluere toties matres, dum unguentis ad necandos pediculos, curandam ſcabiem, peſtim fugandam, uſae, viderunt profici, ſic ſatis adverſus id genus mala, ita tamen ut funeſta ſaepe ſalivatio curationis pulchritudinem foede deturpaverit. Denique quinto Argentum Vivum cum mica panis, aliave, forma deglutiendo aſſumi facile poterit: ut famoſis Barbaroſſae pilulis olim fieri conſueverat.

XIV.

Quacunque ratione ingesta fuerit Argenti Vivi in corpus humanum copia idonea, effectus erit idem, ubi sanguini miscetur. Etenim incipiunt primo homines paulo magis solito calere, leviter febricitare, toto corpore solutiori quasi, solitoque laxiori, apparere, appetitus magis imminui, excitari sitis Deinde anima illius olido, foedoque, halitu cadaveris quasi putredinem spirat, unde seipsum pavet, deterretque mephiti tetra alios. Tum plerumque mandibulae inferioris partis quasi tumescentes, atque semet expandentes cum ingrato rigiditatis sensu ab aegro sentiuntur, uvula, palati pendula valva, tonsillae, linguae radix, glandulae parotides, glandes latera interiora maxillae infimae obsidentes, aliae sub lingua positae, tument, rigent, dolent, aestuant. Haud diu post haec dentes ex imis alveolorum cavis elevari, assurgere, descendere, se ipsis longiores apparere, vacillare, interim latera linguae, apexque, tum buccarum interiora, gingivae, labiorum intima, hinc inde maculis albis, ulcerosis, dolentissimis, affici. Tument omnia oris interiora, & exteriora faciei, superiorisque colli, unde labia retorrida hiatum patuli oris vix claudunt. Tum foedo nidore terribilis humor jugi decursu ore emittitur, ipsoque fluore partes, quas alluit, exulcerat cum dolore fere intolerabili, augetur noctes diesque exstillans saliva, donec copiam Nycthemeri spatio quatuor, quinque, sex librarum, aequet, sic perseverat aliquamdiu per aliquot, octo puta, duodecim, quindecim, dies, saepeque hoc tempore purum floridum gingivis solutis cruorem spectabis emitti ea quidem unda, quae cunctos terrefaciat, sensim postea decrescit fluenti rivus, subsident tumida, sanantur ulcera, lente incipiunt firmari dentes, aeger convalescit totus excolor, exsuccus, exhaustus, debilis. Quo haec salivae excretio abundantior eo durior alvus, saepe duabus, tribusve septimanis adstricta. Urina omni hoc decursu pallida, saepe copiosa, maxime inchoante vel finiente Ptyalismo. Interim sanantur omnia ulcera, ubicunque, quacunque de causa, in corpore haeserint, modo ex medulla vel osse corrupto non duxerint originem, idque fit licet nullo externo medicamine juventur. Simul eradi-

can-

cantur omnes morbi, qui in tenacitate ſanguinis radices haud facile extricabiles fixerant. Si vero poſt prima Symptomata ſalivae progreſſus largus haud ſubſequitur, ut plurimum, glandulae, ventriculi, inteſtinorum, partiumque vicinarum patiuntur eadem, quae modo de glandibus oris commemorata fuerunt, inde tormina alvi cito ſaepe lethalia, ſemper atrocia, dein fluor alvi aquoſus, ingens, perpetuus, vitales extemplo vires proſternens. Ultima haec accidere etiam ſolent, quoties hominem jam copioſe exſpuentem frigus ingens prehenderit ex aëre, potu, pavimentis, aliave cauſa: tum enim excretione hac ſubito compreſſâ ſiccatur os, tument glandes, dolet abdomen, ſequitur cum torminibus ſeroſa alvi dejectio, & ſubitanea mors. Quo vero aër, cui commiſſus homo, operationem hanc Mercurii deſcriptam jam patiens, magis aeſtuat, eo abundantior in os putrefacti ſeri colluvies ita, ut poſſit hac ratione pro incitato, vel compreſſo, aeſtu aëris augeri vel minui Ptyaliſmus. Quin & conſtat, quo craſſior eſt humor in corpore, eo violentius agit Mercurius: id Atrabiliarii experiuntur & Leucophlegmatici, plerumque actionem Hydrargyri atrociſſimam patientes. Illis etiam, quibus acris eſt ſalis abundantia, infeſta eſt prae caeteris medicamenti hujus efficacia: inde Scorbutici cum acrimonia tentati vi Mercurii violentiſſima quaeque ferunt longe magis quam alii, quorum blandior eſt humorum temperies. Verum quicunque vaſa habent inprimis laxa valde, ſimulque humores dilutiſſimos jam maximeque ſolutos, his Hydrargyrus vel magna ingeſta copia nihil fere notabilis efficit, ſed tantum tranſit, atque peſſumdans actiones viſcerum primorum, infauſto tandem itinere oſſium cellulas occupat aut medulloſa receptacula, in quibus haerens facit, quae §. 12. circa finem expoſuit. Atque primaria haecce cauſa habenda, qua fit, ut in fine Ptyaliſmo modo finiendi vix geminata doſi iterum excites, qualem prius ſimplici produxeras. Imo vero, ſi homo ea ſanandi methodo, quae balneis, largoque decoctorum attenuantium uſu, Venereum morbum expugnare tentat, diu tractatus fuerit, neque tamen, ut ſaepe fit, hac medela curetur medullitus, ſolent

 me-

medici saepius confugere ad salivationis dictam viam, ut ad remedium ultimum quidem atque efficacissimum. Interim semper fere tunc dolebunt, ne maxima quidem Argenti Vivi dosi, aut & ejus, qui Mercurius Dulcis dicitur, quidquam effici posse, morbumque ita hunc omnes eludere medentium artes. Sciunt hoc Periti rerum, noruntque parum tunc superesse spei ab ullo alio medicamento vel methodo. Patet etiam ex observatione hac constantissima, cur fossores primo quidem tirocinii tempore ea sustineant, quae statim exposui, postea vero nihil quidquam similis mali subire soliti sint. Denique corpora vim expositam Mercurii saepe passa penitus pallent, macilentissima redduntur & rugosa, foetorem exhalant cadaverosum, dentes amittunt absque dolore omnes, carie ossium, vertigine, tremore, convulsione, paralysi, debilitate, penitus corripiuntur, moriunturque brevi. Infantes vero incauta ejus exhibitione fluxiones accipere, inde tumidas fauces tota fere permanentes vita prudenter notat Sibbald. Hist. Nat. Scot. p. 2. L. 4. C. 2.

X V.

En tibi, mi Lector, historiam rerum quae contingunt in homine a vi Mercurii. Lubetne videre ex veterum observatis quidpiam? addam nihil praeter pauca, quae §. 11. narravit: neque enim alia reperio. Ergo unum superest, scilicet ut conemur Physicam dare explicationem Phaenomenων recensitorum. Nihil morabor vanas super hac re conjecturas, petitas ex acido perniciosissimo producente omnem illam tragoediam: nam nihil acidi, nec alcali, nec salini, nec sulphurei, habet hydrargyrus pura. §. 9. licet id praecipitanter nimis dixerint Viri Egregii, quorum nominibus parcendum dictat reverentia, qua Eos, in aliis optime meritos, colo. Non admitto etiam virus illud arsenicale nocuum, quod semper in ore est multis Chemicis: neque enim id inesse demonstratum est, nec si adesset, valeret producere mirabiles illos effectus. Longe minus unquam probatam vidi ullo experimento Hydrargyri acrimoniam: contra vero ipsa limpidissima aqua multo est blandior, neque signum ullius vel minimae acrimoniae unquam praebuit. Sola igitur bona

lau-

laudari poteſt ſententia Nobilis Scoti, atque Clariſſimi Viri, Archibaldi Pitcarnii, Profeſſoris in hac illuſtri Academia Medicinæ quondam Celeberrimi, quam paulo clarius proponere conabor, quam ille eandem obtulit Medicis in acutiſſima diſſertatione *de Uſu Pulmonis* in initio.

XVI.

Argentum Vivum in partes facile ſolvitur longe minores uno globo ſanguinis, eſt ſuperficie glaberrima, corpore mobiliſſimo, ſanguine decies & ter ponderoſius, compactiusque, vix mutabile, atque pinguibus haud ita difficulter intricandum. Ergo ex demonſtratis Mechanicis, atque Hydraulicis, ſi unus ejus globus venam ingreſſus inter pinguia haerens, cor dextrum, pulmonesque, tranſierit, dein ex ſiniſtro corde cum ſanguine projicitur, atque ita acquiſiverit velocitatem parem reliquo ſanguini, habebit ter & decies majorem vim, quam moles ſanguinis illi aequalis. Quumque effectus ſint proportionales cauſis eos generantibus, mutabit partes ſanguinis ter & decies magis, quam ſi pars ſanguinis vi circulationis egiſſet in eam particulam ſanguinis. Sunt vero Argenti Vivi partes ultimae minores globis ſanguinis rubris. Ergo globus ruber dividetur in minores per hanc vim, ſed tum amittunt partes diviſae rubedinem, quam unitae habebant, docente ad oculum per microſcopia Egregio Leeuwenhoekio. Hinc, aucta opera & multiplicato Argento Vivo in ſanguine, poterit omnis fere rubedo deſtrui, ipſeque ſanguis intime diſſolvi, palleſcere, attenuari, accelerari. Ideo olea & ſales pariter magis dividi magisque, atque aſſiduo plus expediri a caeteris ſanguinis partibus, utpote jam tenuioribus. Hinc volatilia haec fient, & ut ſales atque unctuoſa animalium attenuata nimis ſemper ſolent, putrida apparebunt, foetida, atque exhalantia. Interim continuatis iiſdem omnis compages humorum attenuata, diviſa, ibit ex arteriis ſanguinem rubrum vehentibus in arterias ſeroſas, lymphaticas & caeteras tenuiſſimas, ſimul impetu hoc ingenti ora ultima vaſculorum dilatabuntur, impetum patientur, multa vero ingreſſu humoris peregrini prius nunc attenuati ut introeat, non ut tranſeat, inflammabuntur, inprimis qui-

dem id fiet in vasis tenuissimis & salivosis. Denique dilatatis osculis, solutis humoribus, qua data porta humor effluet. Corpus exhauritur. Contagium morbosum viscoso sanguini inhaerens ex eo jam soluto exit, effluit. Sanantur morbi hinc pendentes, nec alii cedentes remedio: quum nullum tam validum solvens cognitum sit. Sed interim totum corpus exhaustum. Hinc continuata nimis diu hac actione exhalat id, quod in humoribus subtilissimum, pereunt spiritus, cerebrum, nervi, tendines, musculi, suis carent fluidis. Inde itaque omnia symptomata oriuntur, quae enarrata sunt. §. 14. Denique notabo id unum, praestare nimirum hanc Methodum, si rite adhibetur, novoque interea alimento debitoque lege artis iterum reficitur corpus, id ipsum quod fabula canit Æsoni Regi arte Medeae contigisse, ut nempe exhaustus omnis vetus succus suppleretur ingesto novo. Quod ipse examinando verum invenies, neque enim amplificare haec laxiori Dissertatione jam animus est.

XVII.

Nunc dicendum restaret de multis, quae ad hanc actionem Mercurii penitus intelligendam requiruntur. Primo enim dicendum esset de omnibus necessario observandis in administranda salivatione, ut corpus praeparetur, ut illa rite dirigatur, atque legitime finiatur, successu gaudeat optato. An Mercurius crudus omni praeparato in propositum medicum praestet? quae ejusdem praeparatio eligenda ut egregia prae caeteris? quam diversa sit ejus efficacia in variis? quibus morbis prosit, quibusnam noceat? an liceat in corpus humanum tuto ingerere donec salivatio fiat, & hac non orta quousque liceat pergere in ejus usu? quae remedia propria adhibenda corporibus nimio ingesto Argento Vivo scatentibus? an illud quacunque arte paratum tam bene agat contra morbos, si salivationem non excitaret, quam agit illud, quod nunc eam producit? haec atque alia bene multa ex doctrina data extricari possent; sed his explicandis supersedere me jam jubet scripti hujus scopus, temporisque ratio. Vale!

ADDO.

In privatis experimentis apud Honoratissimum, qui optime de me studiisque meis meritus est, Avunculum multa videre mihi singularia contigit: quorum nonnulla simpliciter Addo.

1. Argentum vivum, quo purius arte, eo volatilius.

2. Defoecatum a nigris foecibus labore taediosissimo, & parum noto, igne leniore, quam ebullientis aquae, per vas vitreum ultra tres pedes altum adscendit specie fumi invisibilis, iterumque in alambico rediit in pristinam formam. ne dubites; fiebat haec elevatio ex aceti levi spiritu.

3. Latere tum vidi hoc Argentum Vivum mirabile in liquore Metallico limpido, saepe filtrato, in levi aceti stillatitii liquore, dissoluto, absque ullo omnino alio rodente admisto.

4. Mercurium cernebam artificio quodam, absque ullo omnino rodentis auxilio, intra brevis spatium temporis nigerrimas rejicere partes, sine ullo igne.

5. Quin & eundem mirabar, alia iterum arte, absque ullius salis admistu, acquirere subito saporem metallicum acerrimum, penetrantissimum; cujus in corpore humano vis incomparabilis.

6. Adeo quidem, ut inde constaret mihi, nequaquam esse terram inertem, quam multi putant Argento Vivo inhaerescere, in quam ita abibat; sed actuosissimam ejusdem forte animam.

7. Neque tamen solvebatur particula haec in aqua ebulliente: quum interim vix alterius rei acrior cognosceretur sapor.

8. Vidi Argentum Vivum metallo cuidam permistum, cum eodem in aceti stillatitii liquore purissimo perfecte dissolutum, ut pinguis appareret humor; dein multoties, & patienter, filtratus hic liquor, leni igne, vase clauso, calidius digestus, eructabat sursum verum Mercurium: quo quidem experimento vix aliud magis miratus sum. Sed desino plura.

FINIS.

HONORI ET MERITIS

PRAESTANTISSIMI

JUVENIS

HERMANNI KAAU.

Cum post habitam De Argento Vivo *Dissertationem laetis auspiciis ac summâ cum laude Medicorum ordini insereretur.*

Quîs modò funereos luctus testata cupressus
 Proh dolor! atratas constitit ante fores,
En virides surgunt laurus, crepitantia Phoebi
 Munera, laetitiae signa datura novae.
Qûis modò, confusis lacrymis gemituque, sonabat
 Flebile, jacturae conscia, tota domus;
Quum Deus, aetherio quòd erat maturus olympo,
 Sopiit annosi lumina fessa Senis,
Asseruit mentemque sibi, terraeque parenti,
 Quae dederat, vitae stamina, terra parens.
Quem, licet annorum saturum coeloque receptum
 (Cum superet fati litora plena dolor)
Orba Viro Genitrix, orbaeque Parente Sorores
 Fleverunt fusis moesta per ora comis.

En

En novus exoritur *ſplendor*, nova fama paternis
Moribus & ſtudiis aemula, matris amor:
Matris amor, docti Genitoris digna propago,
Altera Phoebeae ſpesque decusque domus,
Flos juvenum pretioſus, honos & gloria gentis
Exſerit, ut coeli ſidus ab arce, caput.
Et merito: quis enim medicas, Hermanne, per artes
Planius HERMANNI tramite ſtravit iter?
Cujus ad exemplum pulcro innutritus honeſto
Aſſidui pretium dulce laboris habes,
Splendidaque aggrederis docti ſudoris, honores,
Praemia, & ingenio nomina parta tuo.
Scilicet expertus ſacri penetralia templi
Ingrederis multa ſedulitate magus.
Nec te, qui ſuccos noſti miſcere ſalubres,
Qui dare prudenti pharmaca tuta manu,
Provida quas natura ſuis inſeverit herbis
Poeonia vires utilitate, latent:
Nec te, quicquid habent foecundae viſcera terrae,
Cui rerum cauſas noſcere cura, fugit.
Pandit inexhauſti ſeſe tibi vena metalli,
Quod conſummatos luſit in arte viros;
Vinculaque agnoſcit quod nulla, volatile corpus,
Agnoſcat Domini vincula firma novi!
Hoc opus eſt, Hermanne, tuum. tibi Chemia longùm
Serviat, & docto luceat igne focus!
Ars longa eſt, fateor, vitaeque breviſſimus ordo,
Inventum fallax, difficilisque labor:
Attamen, ingenuo ſi quicquam credis amico,
Dimidium coepti, qui bene coepit, habet.
Nec duros pigeat (ſunt ardua pulcra) labores,
Multaque firmata toedia mente pati.

In-

Ingenio quaevis ſuperabis in arte ſagaci,
Et, grave quod nunc eſt, non grave ſemper erit.
Cura laborque juvant, curarum filia laus eſt,
Et, qui virtutes concomitatur, honos.
Sordet ager, ſordent ſteriles ſine ſemine ſulci,
Nec niſi culta ſuas Veſta recludit opes:
Flora nitet cultu, cultisque Lyaeus ab uvis
Profluit, & culta ſpes nova ſurgit humo.
Ergo age, quae dudum coluiſti naviter, artes
Perfice, nec dubiam ſedulus affer opem;
Affer opem, & medicam languenti porrige dextram,
Cui nocuit lenti vis inimica mali.
Sic tibi, tentanti miſeros e faucibus Orci
Eripere, & Stygio jura negare Deo,
Creſcet honos meritis, creſcet nova gloria factis,
(Invidia liceat vera fremente loqui.)
Sic tibi, cui vitae ſervatorique ſalutis
Cum dederit victas Atropos ipſa manus;
Plaudet ab Eois, quod perſonet aequora, ripis,
Plaudet ab Heſperiis decolor Indus aquis,
Plaudet ab Elyſiis fauſto Pater omine campis,
De tumuli rupto marmore plaudet Avus.

ADRIANUS VAN ROYEN.

TER
INWYDING
VAN DEN
HEERE
HERMAN KAAU,
Tot Dokter in de Geneeskunst.

Die ydle zucht naer lof, die my te vroeg deedt dichten,
Die zucht, die jongeliên vaek buitensporig maekt,
Daer zy, op 't rymen trots, zich zelf poëten achten,
Bekoort my thans niet meer, 'k ben van die dwaling vry.
Doch nu g', o brave KAAU, met roem wort ingehuldigt,
Wil Vrientschap, een Godin, dat 'k u in vaerzen eer:
U, die my, op de reis, vaek deedt naer Holland wenschen,
Als 'k, met geen kleine vreugt aen uw zoet byzyn dagt.
Hoe dikmaels strekte uw aert m' een voorwerp voor myn snaren!
(Een edele imborst lokt de Zanggodinnen uit)
De Seine, Rhone, Po, en Tyber zyn getuigen

D *Hoe*

Hoe vaek ik, aen hun boort, u roemde in poëzy.

Wat geeft g' ons blyken van ervarenheit en oordeel,

Daer g' ons thans d' eigenschap van 't Quik zo klaer ontdekt,

En toont dat g' uwen tydt niet vruchtloos hebt versleten,

Noch doof waert voor de reên van uwen groten Oom.

Wat doet de Scheikunst u al wonderen beschouwen,

Door 't bygelovigvolk, eer, tovery geacht,

Toen d' Inquisitieroe geheel Euroop deedt beeven,

En 't waerheit schryven als een gruwel wiert verdoemt.

Laet andren met den roem van hunnen stam te vreden,

Als luiaerts leeven; gy, gy kiest een beeter weg,

En poogt zelf uw geslacht tot glory te verstrekken.

Met recht: want eige deugt maekt slechts den mensch vermaert.

't Geen d' oudren deeden kan geen zoon roemruchtig maken,

Zo hy, geheel ontaert, niets doet dat pryslyk is:

En Pallas zou u thans met geen laurieren kroonen,

Zo maer uw maegschap, en gy zelf 't niet hadt verdient.

Indien de geesten, die reets 't zielendal bewonen,

Noch kennis hebben van der stervelingen doen,

Dan zal uw Vaders schim gewis deez feestdagh vieren,

Daer hy zich zelf erkent in u zyn waerden zoen.

Met

Met welk een vreugde zal uw moeder u ontfangen!
Zy ſtaekt thans 't ſchreien om uw vaders droeven doodt,
Nu doet haer blytſchap, en geen droefheit tranen ſtorten,
Daer z' u haer hoeder noemt, haer ſteun, haer toeverlaet.
Gelukkig die dus leeft tot vreugde zyner oudren
En niet wil leven, zoo hy niet met achting leeft.
O waerde boezemvrient, verblyt om uwe gaven,
Roem ik, wel duizentmael, uw deugt, uw geeſt, uw aert.
Vrees nu geen wangeluk, dat kan noit braven deeren.
Een ſchat verlieſt men wel, doch wysheit blyft ons by:
Zy maekt ons heilryk, ſchoon wy gelt noch goet bezitten.
Simonides hadt niets, en nochtans hadt hy veel.
Leef lang, myn Heer, doch leef tot nut der wetenſchappen.
Leef voor u zelf het minſt, meeſt tot der kranken nut:
Dan zal en ryk en arm ſteets om uw welſtant wenſchen:
En ik u roemen, zo Apol geen gunſt ontzeit.

HUBERT GREGORIUS VAN VRYHOFF.